

Q. D. B. V.  
Ex Historia Civili,  
<sup>De</sup>  
**F R I D E R I C O**  
**Æ N O B A R B O ,**  
DISSERTATIONEM POSTERIOREM,  
In Congressu Disputantium  
publicè exponent ac defendent  
**P R A È S E S**  
**M. ELIAS WEIHEN-**  
**M A J E R U S ,**  
&  
RESPONDENS  
GEORGIUS BARTHOLOMÆUS Sandtberger/  
ULMENSES.  
D. 15. Junii An. d<sup>o</sup> c<sup>o</sup> LXXXIX.  
  
WITTENBERGÆ.  
TYPIS JOHANNIS WILCKII. 117.



§. I.

**N**ostri ratio instituti, imo & promissi  
fides requirunt omnino, ut reliquias etiam  
res à FRIDERICO I. Imperatore Augusto  
præclarè gestas perseqvamur; Nimirum  
posteaq; min Germania Imperator ma-  
gnâ severitatis ac justitiæ curâ imperium  
ordinaverat, universa illa terra fruebatur optima jam pa-  
ce, ac diu desiderata tranqvillitate; ille verò tanta quiete  
ad otium, voluptatumq; illecebras noluit abutii, sed belli  
strepitum ac præliorum discrimen lenociniis cupidita-  
tum & deliciis domesticis longe prætulit; qvocirca ma-  
gno cum exercitu Poloniā ingressus, Bolezlaum Polo-  
norū ducem, ( qvòd fratrem suum Lolizlaum, Gertru-  
dis cognatæ Friderici maritum, patria pulsum recipere  
nollet, intercessione Imperatoris susq; deq; habita, insu-  
perq; solitum qvingentarum marcarum tributum publi-  
co inferre ærario detrectaret,) in ordinem rededit, &  
tandem duris conditionibus pacis propositis in gratiam  
recepit. (a)

(a) Radevicus de gestis Friderici I. lib. 1. cap. 1. usq; ad c. 6.  
Guntherus Ligurini lib. 6.

§. II. Qvo bello feliciter ad finem perducto , dux  
Bohemorum Labezlaus (b) ob egregia facinora , fidemq;  
erga Cæsarem, ac magnam virtutem, qvæ in Polonica ex-

A 2

pedi-

peditione potissimum eluxerat, à Friderico I. Imp. rex Bohemiæ creatus est Ratisponæ anno M. CLVIII. (c)

(b) Sic Otto Frising. de gest. Frider. lib. 2. cap. 27. eum vocat, & Radevicus ejusdem continuatur l. c. conf. Gunther. Ligurini lib. 6. p. 89. Steroni autem Waditzlaus dicitur, in Annal. pag. 232. alii Uladislaus. (c) Radevicus lib. alleg. cap. 13. Ursperg. Chron. p. 297. Atq; Henr. Stero ex illis est corrigendus, qui anno 1156. hoc contigisse affirmat. Probè autem ex Aventino hic observandum venit, creationem illam regis Bohemorum hac lege tum temporis fuisse factam, ne ea dignitas ad posteros transiret, sed ei honoris successor ex hæres foret. lib. VI. Annalium Bojorum pag. 390. quemadmodum etiam ante Ænobarbum Henricus IV. Bratislauum Bohemum diadematè exornaverat, cuius tamen successoribus eadem dignitate regis gaudere minimè erat integrum. Postea vero Philippus Sveus Ænobarbi filius Primislaum, cognomine Ottocarum, Moguntia in conventu principum A. C. 1199. creavit regem cum perpetua dignitate, ad successores etiam continuanda. v. Trithem. Chron. Hirsaug. ad dictum annum p. 162.

§. III. Postea Imperator Mediolanum toties sibi rebellans difficulti obsidione cepit, diripuit, incendit, ac funditus eversum solo æquavit, sale etiam insperso, atq; aratro per medium urbis tracto. (d)

(d) Mediolanum à Friderico I. destructum fuit anno 1162. Ursperg. Chron. pag. 396. ubi eversionem hujus urbis prolixè diligenterq; descripsit, nec non primam Ænobarbi contra Mediolanenses expeditionem p. 198. & secundam p. 300. conf. Guntherum in Ligurini libris X. passim. Henr. Steronem in Annal. p. 229. 231. 233. seqq. Chron. Weingart. p. 221. Felicem Fabri in Hist. Svev. lib. 1. c. 12. p. 103.

§. IV. Ceterum Fridericus, Imperator Augustus, libertatem imperii, auctoritatemq; Caesarei nominis sicuti contra omnes omnino hostes, ita in primis adversus Romanos Pontifices masculè & constanter defendit, isto-  
rumq;

rumq; ambitioni eo usq; restitit, ut irarum plenī fulmen  
anathematis in ipsum semel atq; iterum contorquerent.  
Id qvōd uberiūs aliquanto & fusiūs ex fide dignis illorum  
temporum monumentis jam confectum dare non pi-  
grabor.

§. V. Hadrianus itaq; P.R. etiam si ab initio in Cæ-  
sarem studio, benevoloq; affectu inclinare videretur,  
postea tamen ejusdem in Italia potentiam majora subin-  
de incrementa capiente agre ferens, ad frangendas  
principis nostri vires nihil non tentavit, eandemq; ob-  
causam Mediolanensis toties ob perfidiam ab Impera-  
tore multatis, ut denuo adversus Fridericum arma su-  
merent, auctor suasorq; fuit.

§. VI. Illud verò imprimitur Hadrianum male ha-  
buit, qvōd Imperator in epistolis nomen suum Pontificis  
nominis præponeret, insuperq; ab episcopis fidelitatis fa-  
cramentum exigeret, nec non Cardinalibus à latere, ut  
loqui amant, missis non solum Ecclesiās, verū etiam ci-  
vitates regni, ditionisq; suæ clauderet. (e)

(e) Epistole Hadriani Papæ ad Fridericum, & hujus ad Pontificem  
extant in appendice ad Radovicum, pag. 345. qvæ ex Chro-  
nicis Naucleri ( qui eas in Hirsaugensi cœnobio Spirensis di-  
œcesis reperisse se testatus est. ) ibidem sunt adjectæ. Nequeo  
mibi temperare, qvō minus in gratiam curiosi Lectoris præcipua  
verba ex Imperatoris epistola, qvam Hadriano rescripsit, subte-  
xam, ut eximia animi magnitudo, laudabilisq; adversus fa-  
ustum Pontificium constantia principis nostri clariūs innotescat  
omnibus. Ita vero paucis premissis responderet Pontifici : Qvi-  
qid Papatus vester Regalis habere dignoscitur, largitio-  
ne principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici  
scribimus, jure antiquo nomen præponimus. &c Revol-  
vite Annales, & si lectum neglexisti, qvod asserimus,  
illuc invenitur. Ab iis autem qui dei sunt per adoptio-  
nem

nem , & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia  
Sacramenta non exigamus? Cum ille noster & vester in-  
stitutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona  
omnibus conferens , qui pro se & Petro censem Cæsari  
persolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis , doceat  
vos, dicens: *discite à me, quia mitissimum & humilis corde.* Aut  
igitur regalia nostra nobis dimittant, aut, si haec utilia  
judicaverint, quæ Dei, Deo, quæ Cæsar, Cæsari persol-  
vant. Cardinalibus utiq; vestris clausæ sunt Ecclesiæ, &  
non patent civitates , quia non videmus eos prædicato-  
res, sed prædatores; non pacis corroboratores, sed pecu-  
niæ raptiores; non orbis reparatores, sed auri insatiabiles  
corrasores. *Et paucis interjectis:* Humilitati autem , quæ  
est custos virtutum , & mansuetudini vestræ non mini-  
mam notam inuritis, cum hujusmodi quæstiones religi-  
oni non multum conferentes , secularib. personis pro-  
ponitis. Non enim non possumus respondere auditis,  
cum superbiæ detestabilem bestiam usq; ad sedem Petri  
reptasse videmus. &c. Illad etiam Hadrianum male  
urebat , quod Cæsar Netario suo præceperat , ut in scribendis  
chartis Papam dictionibus singularis numeri nomine suo allo-  
queretur. Radevicus lib.2.cap.18.

S. VII. Verum ex eo quoq; capite major postea  
graviorq; Cæsarem inter atq; Pontificemlis ac dissensio  
est exorta , quod Hadrianus in literis ad principem datis  
inter cetera scripsérat: *dignitatis & honoris plenitudinem*  
*Imperatoris à Romano Pontifice fuisse collatam, & insigne im-*  
*perialis coronæ eandem de manu sua suscepisse , adeoq; im-*  
*perium suum esse beneficium(f) verbis haud obscuris affir-*  
maverat. Etenim epistola ista tam arrogante perfecta,  
magnâ principes qui aderant, commoti fuere indignatio-  
ne, cumq; super insolita hac legatione invalescente inter  
optimates imperii strepitu & turba , unus Cardinalium,  
legatorum , qui literas illas tradiderant, dixisset: *à quo*  
*ergo*

ergo babet, si à domino papa non babet imperium? tan-  
ta ob hoc dictum accensus ira Otto palatinus Comes de  
Bajoaria, ut illius jugulo striculum admoveens gladium in-  
tentaret mortem. Atenim vero auctoritate sua interpo-  
lata, Imperator tumultum quidem compescuit, ipsiis vero  
legatis, ut primo manè aula relicta abirent, neq; hac vel  
illac, in episcoporum, abbatum ve territoriis vagarentur,  
sed recta via Romanam reverterentur, severè injunxit. In-  
terim quæ acta erant, circummissis per totum imperium  
literis, (g) significavit omnibus, atq; imperium à so-  
lo Deo per principum electionem accepisse se adsevera-  
vit, qvocircum Petrus apostolus mundum hac doctri-  
na informaverit; *Deum timete, regem honorate;* omnes  
illos, qui imperiale coronam pro beneficio à papa  
suscepisse se dicant, divinæ institutioni, atq; Petri doctrinæ  
contrarios, mendaciq; reos esse affirmavit; qvin immo-  
mortis periculum malle se incurrere, quam pati, ut ho-  
nor auctoritasq; imperii tam inaudita novitate suis  
temporibus imminuatur, aut ignominia tanta afficiatur.

(f) Radevicus lib. i.c. 10. auctor est, de Imperatore Lothario II.  
in palatio Lateranensi super picturam ejusdem acta repræsen-  
tantem, versis sequentes suo tempore scriptos extitisse: Rex ve-  
nisti ante fores, jurans prius urbis honores, Post homo fit pape, su-  
mum quo dante coronam. Hinc illa quoq; tempestate à non paucis  
Romanis, imperium Urbis, & regnum Italicum reges Ger-  
maniae hactenus donatione Pontificum possedisse, te-  
merè affirmabatur, quamobrem cum aliquando pictura ista cum  
inscripione tam ignominiosa Friderico Aenobarbo Romæ per  
ministros suos ostenderetur, vehementer ipsi displicuit, atq; ut  
scriptura pariter ac pictura talis de medio tolleretur, Hadriano  
injunxit serio, ne tam vanares summis in orbe viris litigandi  
præbere posset materiam. conf. cap. 16. & Joh. Trithem. Chron.  
Hirsau. ad A. 1157. p. 140. conf. qvæ Aventinus ex epistola  
Hadriani pape ad Hilium Trevorum, Arnulphum Mogon-

tinum,

tinum, Fridericum Agrippinensem archimyſtam datā exſcripsie,  
ubi de ſimiſi prorsus argumento verba nil niſi fastum papalem,  
arrogantemq; ſuperbiā ſpirantia deprehendes. Annal. Bojo-  
rum lib. 6. p. 390. (g) Imperatoris epistolam ad imperium  
exhibet Radev. c. I.

§. VIII. Contra vero Hadrianus de his rebus omni-  
bus certior factus, ad archiepiscopos atq; episcopos Ger-  
maniae dedit literas, ac de injuria Legatis ſuis illata, ut &  
de edicto ab Imperatore publicato, qvo Germani religi-  
onis cauſa Romanam adire prohibebantur, vehementer eſt  
conqveſtus, eosq; ut principem ad rectam viam reduce-  
rent, ſedulo admonuit. Sed vero tantum aberat, ut E-  
piscopi Germani partes Cæſaris propterea deſererent, ut  
maxime etiam Papæ in hoc capite repugnarent, imperiiq;  
libertate in multis verbis vindicarent in epiftola ad Ha-  
drianum exarata. (h)

(h) hæc epiftola extat apud Radevicum lib. 1. cap. 16.

§. IX. Qvamobrem Pontifex adventu insuper prin-  
cipis (i) perterritus, consilium mutavit, nunciosq; priori-  
bus majorem p̄r se ferentes humanitatem ad lenien-  
dum ejus animum misit; qvi Augustæ Vindelicorum ab  
Imperatore admissi, orationem humillimam ad mitigan-  
dum principem accommodatam habent, nova insuper  
epiftola Pontificis oblata, in qua ille ſuam erga Cæſarem  
reverentiam prædicat, præterea prioris epiftolæ  
verba, qvæ Cæſaris animum contra ſe adeo commo-  
viffent, explicatione commodiori excusat, per beneficium  
ſe non feudum, ſed bonum factum juxta nativam hujus vo-  
cabuli significationem, intellexiffe callide afferens, jam  
verò bonum factum omnino eſſe judicandum, qvod co-  
ronam Romanam capiti ipsius honorifice impoſuiffet. (l)  
Qva ſubdola epiftolæ interpretatione Imperator mitiga-  
eps, atq; Hadriano fuit reconciliatus.

(i)



(i) Cæsar namq; Reinaldum Cancellarium & Ottонem Palatinum Co-  
mitem cum exercitu in Italiam jam præmiserat, per eosq; certa Sa-  
cramenti forma prescripta, Italiae episcopos civitatesq; jure jurando  
sibi devinxerat. Radev.c.17.l.i. (l) præter Radev.l.i.c.22. videt-  
am Trithem. Chron. Hirsaug. ad an. 1157. p. 140. seq.

§. X. Sic & contra ceteros suæ ætatis Pontifices imperii  
majestatem pro virili defendit; Etenim qvum extincto Ha-  
driano dissidium in electione Papæ inter Cardinales esset  
obortum, adeo ut duo Pontifices simul eligerenter, Octavi-  
anus nempe, qvi Victoris nomen sumpsit, ac Rolandus, Ale-  
xander III. postea vocatus, Imperator auctoritatem potesta-  
temq; congregandorum Conciliorum exemplo Constantini  
M. Theodosii, Justiniani, Caroli M. atq; Ottonis M. ad se  
qvoq; ex officio ac dignitate imperii pertinere asseverans,  
Synodum Papiæ, ut schisma tolleretur, convocavit , in qua  
Alexander legitimum defugiens judicium ab Ecclesiæ præsu-  
libus ibi congregatis damnatus est: Victor, qvi Synodi se po-  
testati submisit, confirmatus, atq; à Cæsare missis per Europæ  
regna literis contra Alexandrum III. defensus. Ex adverso  
Alexander in Galliam fuga elapsus, in Victorem pariter & Fri-  
dericum fulmen excommunicationis evibravit, & Venetos,  
Mediolanenses atq; vicinos omnes in Imperatorem concita-  
vit. Regressus igitur cum valido exercitu in Italiam , Ro-  
mam cepit, ac seditiones cives severè multavit, fugatoq; Ale-  
jandro, Paschalem in locum Victoris morte defuncti Papam  
constituit, & multa fortiter in Italia adversus rebelles gessit.  
(m) Alexandrum fuga Venetias petentem filius Cæsaris Otto  
cum instructissima classe persecutus, à Venetis capitur. Quo  
tristi nuncio percussus , insuperq; molestiarum & dissidio-  
rum pertæsus Imperator jam vergens in senium, pacem cum  
Alexandro fecit, eumq; legitimum Pontificem tandem a-  
gnovit (n)

B

(m)

(m) vid. Radevicus lib. 2: c. 54. & 64. Abb. Ursperg; in Frid. I. pag. 303. (n) Ursperg. l. c. p. 301. conf. Matthæus Paris in Henrico II. Angliae rege, pag. 118. aliq; æquales illorum temporum Scriptoros.

§. XI. Narrant Itali & recentiores quidam Scriptores, Friderici Ænobarbi collum ab Alexandro Papa Venetiis ad januas ædis D. Marci fuisse calcatum, etiam contumeliosè dicente: super aspidem & basiliscum ambulabis, & calcabis leonem atq; draconem. Cùm responderet Pontifici: Non tibi, sed Petro, cuius es successor, pareo; regessisse illum consuetæ superbia; Ermibi & Petro. Verum enim vero hanc narrationem non pauci viri doctrinâ pariter & dignitate illustres etiam ex nostratis in dubium vocarunt, imo prorsus fabulosam, atq; ab Italîs, Guelficæ præsertim factionis hominibus, in Germanorum contumeliam fuisse confictam iudicarunt, qvòd non modò magnanimi illius fortissimiq; Imperatoris ingenio & rebus gestis repugnet, verùm etiam monumentorum fide dignorum. Scriptorumq; illorum, qvii aucto isto vixerunt, testimonio prorsus destituatur. (o)

(o) Actum agerem, si controversiam hanc copiosissimè à viris eruditione clarissimis dudum pertractatam. & ego in præsens ab ovo arcesserem, ac sententiam hujus rei sive affirmativam, sive negativam multis argumentis operosius demonstrare, auctorumq; testimoniis prolixè fuseq; adductis tueri aggrederer. præsertim qvum id nec ratio instituti, nec chartæ statutum facile concedant, qvandoquidem ut reliqua etiam Friderici facta nunc attingam, vi promissi teneor. Ceterum negativam acerrimè propugnavit Christ. Adamus Rupertus in observ. ad Synopsin Historiæ Universalis Besoldianam pag. 663. seq. Edit. Norib. A. 1659. atq; ante illum eandem proposuere negativam Aventinus, Conratus Rittershusius, Matthias Berneggerus, Georgius Remus, qvem ab hac ignominia Fridericum non perfunditorie liberasse censem viri eruditus, qui Compendium H. E. in usum Gymnasii Gothani adornarunt, pag. 618. ] Georgius Richterus, Thomas Reinesius, Dilberrus, &c. quos ibidem pro se allegavit.

Ru-



Rupertus, atq; nostro tempore huic sententiæ subscriptis summis  
quidam Polyhistor, cuius auctoritas apud me per magnum mo-  
mentum habet, ut alios nunc brevitatis ergo silentio tegam.  
Haud quaque verò viri hi doctissimi narrationem istam de  
collo Friderici Imper. ab Alexandro pedibus calcato cum  
Baronio Cardinale ex eo capite inficiantur, quasi abhorru-  
erit à tanti vicarii Christi mansuetudine turgens fastu  
facinus, siquidem arrogans Romanorum Pontificum superbia,  
Antichristica tyrannis, inustumq; imperium, quod in maximos  
etiam principes insolentissime exercerunt, neminem facile  
fugiat, qui historiarum medii ævi obiter saltem gnarus est; sed  
ideo potissimum, quod de tam ignominioso actu probatisimi  
quiq; præsentim illius etatis scriptores prorsus tacent; ut alia  
in præsenti transeam. Auctores vero illos, qui narrationem hanc  
pro historia primi venditarunt, allegatos invenies apud lauda-  
tos supra viros; Ceterum ex recentioribus affirmativam pu-  
blicè defendendam suscepereunt viri doctissimi magno numero,  
in primis Celeberrimus Wagenseilius de Impp. XI. & XII. se-  
culi, Reiferus in Roma Non-Gloriosa; quib; ad stipulatur Joh.  
Henr. Heideggerus in Historia Papatus pag. 106. ac plu-  
res alii, quibus nunc enumerandis ob chartæ angustiam super-  
sedeo, atq; ad allegatos modò, cum brevitatistudendum sit, B.  
L. remitto.

§. XII. Præterea inter res imperante Friderico I. ge-  
stas omnino est memorialis Henrici Leonis proscriptio,  
qvæ insignium in Germania mutationum causa fuit. Ut  
autem altius repetam: Qvum Imperator Alexandriam  
(p) instinctu Papæ sibi rebellantem circumcidet, Henri-  
cus Leo ab Alexandro III. P. R. corruptus, ab excommuni-  
catione Cæsar is arreptâ occasione, perfidè ab eo recessit,  
Cæsareumq; exercitum magno exposuit periculo; qvocir-  
ca Imperator eundem secutus, demisè admodum rogita-  
vit, ne se desereret, sed memor beneficiorum copiis suis ad-  
versus hostes sibi subveniret, auxiliumq; ferret. Hinc et-  
iam cùm se exorari non pateretur, in maximum Cæsar is  
odium incurrit.

(p) Alexandria dicta est hæc Italiae urbs, in honorem papa Alexandri III. à Mediolanensibus edificata, quorum civitas ab Imperatore prius destruēta fuenter. vid. Ursperg. Chron. pag. 309.

§. XIII. Etenim Fridericus multis tunc magnisq; defunctus periculis, feliciter tandem in Germaniam rediit, Henricumq; Leonem (qui interea cum comitibus Zolren-sibus & Veringensibus, aliisq; contra Imperatorem coniurationem fecerat.) criminis læsæ majestatis accusavit, ac principum consensu proscriptum Ducatibus Bojariæ pariter & Saxoniaræ privavit, insuperq; triennii exilio affecit. (q)  
(q) Ursperg. pag. 310. Henr. Steronis Annales pag. 230, 236, & 237.  
Chronicon Weingart. pag. 221 seq. Trithem. Chron. Ducum Bavariae, p. 109. & Chron. Hirsau. p. 154. conf. in primis Aventinus in Annal. Bojorum lib. 6. p. 397.

§. XIV. Ducatum post Bojariæ contulit Ottoni (r)  
Comiti Palatino Witelsbachio, origine Schirensi, (s) utpote legitimo, proximoq; heredi, à quo principe laudatissimo omnes Bojariæ Duces & Comites Palatini Rheni ad nostrasq; tempora descenderunt. (t) Hac igitur ratione Ducatus Noricus Guelfis ademptus beneficio Friderici. Enobarbi ad familiam Schireensem postliminiq; rediit anno MCLXXX. (u)

(r) Otto hic, cuius supra §. 7. & 9. lit. i. mentionem fecimus, fuit vir fortissimus, singulari virtute, constantia, namq; in Fridericum I. fidepraditus, arg; in primis in expeditionibus Italicas adversus rebellissimæ civitates. & Romanos Pontifices suscepit de Cesare omnium optimè meritus, adeo q; ipsi apprimè carus, quem magnis effert laudibus. Radevicus lib. 1. cap. 18. conf. Trithem. Chron. Bavar. p. 109 Aventin. k. 7. Ann. Boj. pag. 400. (s) Schiren, Schyren, (i) quem admodum Sterol. c. permittat inscribit, vel secundum Trithemium Scheyeren, auriciam Scheuren, (ut habet Aventinus.) castellum superioris Bojariae quondam fuerat fortissimum (nunc verò templum) quod Arnolphus Imperator seculo IX. construxerat, cuius filius Arnoldus fuit dux Bojariae, alter autem Bernhardus, Arnoldi frater, comitatum Scheyeren accepit, duosq; genuit filios,

Eckart

Echarðum nō tempe, post obitum parentis comitem Scheyensem, G  
Otonem, qui in Witelsbach oppido superioris Bojariæ habitavit, unde  
de G soboles ejus cognomen sortita est. Atq; ex ejusdem stirpe origi-  
nem traxit Otto hic Witelsbachius, qui Henrico Leone pro-  
scripto, Bojariam, unde maiores ipsius ante annos ducentos atq; tri-  
ginta unum, ab Imperatore Ottone I. submoiti fuerant, in fidem vir-  
tutis ergo ab Imperatore Friderico I. accepit. Idem Otto dux unus  
eum reliquis ejus temporis Comitibus Schirensibus ex castro Schey-  
eren quod antiquitate nimia pene corruerat, monasterium edifica-  
runt, atq; in sepulchrum generis sui perpetuum elegerunt. Hinc  
Aventinus templum magnificè extructum, D. Benedicto à Schirio  
principibus dedicatum suo adhuc tempore extitisse, ibi Mausolea  
corundem visa fuisse auctor est. Fuit ergo Schira gens præcipua  
semper nobilissimaq; apud Bojos, utpote à Carolo M. per Arnol-  
phum oriunda. Trithem. in Chron. Bavario l.c. &p. 103. Aventi-  
nus lib. 6. Ann. Boj. p. 398. G. lib. 7. p. 400. (t) Quomodo à Comitibus  
Schirensibus à Witelsbach Bojariæ Duces ac Palatini Comites genus  
deducant, per ordinem ad sua usq; tempora prolixè seduloq; com-  
monstravit doctissimus ille Abbas, Johannes Trithemius in saepè  
laudato Chronicō successionis Ducum Bavariae & Comitum  
Palatinorum: ad Philippum Palatinum Comitem, principem  
Electorem nec non de Schirensium stemmate, atq; genere, eorumq;  
posteriori conferri meretur omnino Aventini lib. VII. integer Annal.  
Boj. (u) tertio Idus Julii. Aventin. l. 7. p. 400. conf. supra al-  
legatos Ursperg. & H. Steronem, atq; ex recentioribus in primis  
Dn. Schurzfleisch. in Disput. de Henr. Leone §. 3.

§. XV. Eodemq; tempore Ducatum Saxonie Bern-  
hardo Ascanio (x) (sive Anhaldino). Alberti Ursi filio, ac  
Westphaliæ Philippo Coloniensi Archiepiscopo benefi-  
ciario nexu donavit, ceterasq; Leonis ditiones (y) variis  
distribuit, exceptis duntaxat possessionibus & provin-  
ciis, agro Brunsvicensi & Luneburgensi comprehensis,  
quas intercesione regis Angliae, socii (z) pro se ac poste-  
ris suis Henricus retinuit. (a) Quo pacto magna illa, ceterisq;  
Germaniae principibus peri me scenda Guelforum poten-  
tia valde labefactata atq; imminuta fuit.

(x)

(x) Ursperg. l.c. Trithem. Chron. Hirsaug. pag. 154. Præterea Bernardo Archimareschallatus à Friderico I. jure perpetuo ac hereditario fuit acribus, quæ dignitas una cum Ducatu Saxonico penes Ascanios fuit usq; ad Sigismundum Imperatorem, qui Electoratum Saxoniae cum omnibus juribus ad eum spectantibus transfert ad Fridericum Bellicosum, Saxo Wetinensem, Marchionem Misnia & Landgraviatum Thuringiae pro navata fortiter opena in bellis Bohemicis. Quo de evolvendi sunt scriptores Saxonici, Fabri-  
cius, Peccensteinius & P. Albinus. Quia Electori dignitate Serenissima  
hac familia, & quidem nunc in linea Albertina per Dei gratiam  
etiamnum gaudet. (y) reliquias Henrici Leonis possessiones Aenobarbus Welphoni avunculo suo, ac Leonis patruo tradidit, verum  
extinto Welphone totum Guelforum patrimonium in Algavia &  
superiore Suevia ad Fridericum I. Imper. atq; Hohenstauffios fuit  
delatum. vid. Ursperg. p. 310. (z) duxerit namq; Mathildem,  
sive ut Trithem. vocat. Mechtildem, Henrici II. Anglorum regis  
filiam, Richardi regis sororem. Chron. Bavar. p. 108.

(2) Brunsvicensem & Luneburgensem in Ducatum postea co-  
vexit non ut quidam volunt, Otto IV. Imp. sed Fridericus II. Ho-  
benstauffius, id quod ex Abb. Seadensis, & tabulis publicis apud H.  
Meibomium extantibus probatum ivit Excell. Dn. Schurzfl. Disp.  
alleg. §. 5. ubi insuper Guelforum præcipue Henrici Superbi, ut &  
Leonis, potentiam non paucis formidabilem nervosè descripsit; con-  
fer omnino de Guelforum potentia atq; ultima origine laudatos à  
nobis Dissert. priori ad §. VI. a. Scriptores, ubi duces Brun-  
svicenses & Luneburgenses originem suam ad Henricum Leonem,  
ac antiquas Guelfos referre est indicatum; cum quibus nunc jungas  
licet Trithem. Chron. Bavar. l.c. ubi duces hos à tempore Lotha-  
rii II. ad suam etatem usq; recenset. conf. Aventin. Ann. Boj. lib.  
6. p. 397.

§. XVI. Rebus ita constitutis, Italiaq; ac Germania  
pacatis, Frideric⁹ svasu hortatuq; Clementis III. P. R. (b) si-  
gnum crucis sumpsit, & contractis magno viriū apparatu  
copiis, contra Saladinum (qui capta Hierosolymorum urbe,  
parvis Christianorū in Oriente reliquiis exitium minitaba-  
tur,) expeditionem in Asiam suscepit, & Saracenis feliciter  
repressis, Iconio, aliisq; urbibus occupatis, Saladinū ad pa-  
cem

etem suppliciter petendam coegit, tantumq; hostibus terrorem incusit, ut haud dubie barbaros illos sub jugum prorsus misisset, nisi subita atq; inexpectata morte fuisset correptus. Cum enim æstu maximo defatigatus refrigerandi sui lavandiq; gratia in flumen Sapber descendisset, in morbum dela-  
psus exstinguitur A.C.M. CXC. Imperii XXXVIII. (c) princeps pietate pariter & fortitudine supra Reges omnes adversariorum etiam suffragiis inelytus, (d) atq; in vindicanda Imperii libertate nulli tecundus. Etenim pro bono Rei publicæ promovendo nihil prorsus omisit, eumq; in finem permulta celebravit Comitia Imperii, Moguntiæ, Coloniæ, Augustæ Vindelicæ, Ratisponæ, Ulmæ, (e) Spiræ &c. Non paucas in super Germaniæ urbes privilegiis auctas ad maiorem præaliis libertatem evexit.

- (b) Henricus Albanensis episcopus à Clemente missus ad Imperatorem fuc-  
mat, qui etiam A.C. 1188. expeditionem Hierosolymitanam, quam in eo  
omnibus fermè Scriptores tantopere laudant, suscepit teste Matth. Pa-  
ris in Henr. II. Angl. R. p. 140 conf. Trithem. Chron. Hirsaug; ad di-  
ctum annum. p. 157. (c) Mirum in modum variant de morte ejus  
auctores, quidam in hepatis morbum eum incidisse, eog; extinctum fu-  
isse commemorant; alii ab equo improvidè flumen ingresso illum præci-  
pitatum, & exterritum, paulo post mortuum fuisse tradunt; alii eum la-  
vandi causa flumen ingressum, in eog; submersum fuisse peribent. Sic  
neg; iu fluminis denominatione omnes consentiunt, Urspergensis Ser-  
ram, Matthæus Paris Sapher nominat; aliis Saphar; aliis deniq; Saleph  
dicitur; & recentiores pleriq; Cydnum Cilicia flumen esse autumant.  
v. Ursperg; in Frid. I. p. 295, 313, 316. Matthæus Paris in Richardo I. An-  
gli. rege p. 153; in primis vero conf. narratio de Friderici expeditione  
in Asiam à quodam ipsius comite conscripta, quæ in appendice ad  
Radevicum extat, p. 345. Storo Annal. p. 231. & 239 Chron. Wein-  
gart. (p. 222. Felix Fabri H. S. lib. I.c. 12. p. 104. Trithem. Chron. Hir-  
saug; p. 59. Nos in §. potissimum secuti sumus Urspergensem & narati-  
onem illam in append. Radev. Fridericum Tyri humatum scribit F.  
Fabri l.c. & versus in ejusdem sepulchro sculpos ibidem exhibet.  
(d) de principe nostro adversariorum ejus testimonia aliquot collegit  
Rupertus in obs. ad Besold. p. 660.  
(e) Fel. Fabri l.c. H. S. c. 12. p. 102. Prater Comitis, alio etiam tempore Fri-  
dericis

dericus principum Germania conventum Ulmae habuit ob novam expeditiōnem aduersus Mediolanenses parandam, acq; ibidem quoq; numerum copiarum, quas in Italiam erat duciturus, in it; v. Frising. l. 2. c. 30. & Guntherus Ligur. l. 5. p. 77. ubi Imperatorem in loqueniem introducit. Totus apud nostram coiens exercitus Ulmam. Me duce per rigidam securus & integer Alpem Transeat. &c. Atq; ex dictis facile intelligitur, patriam meam carissimam ex ruinis ac dimi vestigatione superioribus temporibus facta imperante Friderico I. denuo emersisse, etenim Ulma Hohenstauffis semper addictior in bellis illis inter emulas Guelforum & Hohenstaufforum in Svevia familias gestis maleis dannis fuit affecta, in primis ab Henr. Superbo; v. Chron. Weingart. p. 191. Aventin. l. 6. Ann. Boj. p. 380. imo tandem à Lothario II. Imper. Conradi Hohenstauffi emulo, funditus eversa fuit. At vero Conradus Lothario defuncto, rex creatus, Ulmam ob summam civium erga se fidem reedificari jussit, eandemq; à Conrado rege multis privilegiis auctam simili Ænobarbus affectu fovit, v. Fel. Fabri. 2. c. 3. p. 240. Ieq. Atq; ex eo tempore civitas hæc, excusso post monachorum jugo, in libertatem se vindicavit, ac contra quasvis hostium molitiones sarta eecta qd per Dei gratiam stetit ac floruit.

§. XVII. Ceterum Friderico I. in imperio suffecit filius Henricus VI. ex Constantia Rogerii Siculorum regis filia quinquageneria filium, itidem nomine Fridericum, post Philippum patruum, Imperatorem R. procreavit. Omnes autem illi principes, ab Ænobarbo originem trahentes, Pontificibus R. familiam Hohenstauffiam accessione regnum Siciliæ atq; Apuliæ auctam & grè ferentibus, summopere fuere invisi, & exinde anathematis fulmine toties petiti; etenim Pontifices Hohenstaufforum vires labefactare & potentia ex propinquâ Apulia formidabilis nervū incidere anxiè allaborarunt, imò nō quieverunt, donec familiâ hanc potentia pariter & fortitudine nobilissimam radicitus extirparent, quo liberiorem posthac in Ecclesia dominatum exercere ipsis liceret. Quem etiam scopum diu multumq; sibi praefixum seculo XIII. ex voto sunt assecuti, quando infelix ille Conradinus, Friderici II. ex Conrado IV. nepos à Carolo Andegavensi regno Neapolitano exutus, & instinctu Papæ Clementis IV. securi percusus miserè periit, atq; Hohenstaufforum familia in hoc principe defecit. v. Paralipomena Ursperg. p. 355. Trith. Chron. Hirſ. p. 193.

(S) O (S)

102.19

